

in communi loquendi usu designent, adeoque secundum istam significationem ex illis sensum colligere: At illum esse verum, & ab Auctore intentum, nullus sanæ mentis dixerit Theologus. Unde patet duplicem has sententias, atque adeo orationem admittere sensum. Non quidem diffitemur, illos aliquando posse concurrere, ita ut, qui est ex Authoris mente, & qui se ex communi usu auditori lectorive offert, coincident, quamvis adhuc alium sensum aliamve explicationem ferat oratio. Nec inficias imus, illi quandoque simplicem duntaxat atque unicum forsan, vel etiam plures, quam duos inesse posse sensus. Attamen, cum & duo, & eò, quò probatum est, modò diversi esse queant, sensuum hæc in oratione distinctio locum obtinebit.

5. Et quoniam, ut supra inuimus, oratio respectu sensus perspicua aut obscura dicitur, isque duplex est, simpliciter dictus, & verus; duplex etiam erit perspicuitas, & obscuritas, prout ad hunc vel illum referuntur, quarum definitiones ex præcedentibus facillimè compilari possunt.

6. Ex dictis autem liquet, verum, de quò nobis hic sermo est, sensum nequaquam esse confundendum cum illò verò sensu, unde oratio vera nuncupatur, & non ad intellectum mentemque dicentis, sed ad res, quæ dicuntur, refertur. Notum est cuilibet, disciplinis Scholasticis leviter tincto, multiplicem apud Philosophos inveniri Veritatis appellationem, ac, inter alias, duas esse, quæ sermoni externo tribuuntur, Logicam unam, alteram Ethicam dictam. Ab illâ dependet orationis veritas, ab hac ejusdem sensus verus: ab illâ oratio appellatur vera, ab hac sensus verus. Est namque illa orationis convenientia cum ipsis rebus, prout extra loquentis intellectum in naturâ existunt. Hæc verò ejusdem conformitas cum ideis atque conceptibus, quos in animò habuit is, qui ipsam seu scriptò, seu vivâ voce protulit, nullâ habitâ ratione, congruatne rebus ipsis, an secus. Eandem inter orationis veritatem ac verum sensum differentiam notare videtur Augustinus Confess. lib. 12. cap. 23. *Duo video dissensionum genera oboriri posse, cum aliquid à nunciis veracibus per signa enunciatur: unum, si de veritate rerum; alterum, si de ipsius, qui annunciat, voluntate dissensio est. Aliter enim quærimus de Creaturæ conditione, quid verum sit: aliter autem quid in his verbis Moses, egregius domesticus fidei tuæ, intelligere lectorem, auditoremve voluerit. Nec absimilis est Chamieri distinctio, quam proponit Panstrat. Catholic. Tom. 1. Lib. 15. cap. 3. §. 21. his verbis. Distinguo verum sensum: dicitur enim absolutè & ad se, nimirum qui nihil proponit falsi, vel impii: vel relatè ad locum, de quò est quæstio; ut sit verè is sensus literalis, quem is locus exigit.*

7. Tria itaque in oratione, quod ad significationem, apprimè distinguenda veniunt, sensus nempe simpliciter sic dictus, sensus verus, & veritas. Ac horum quidem sensuum, indèque emergentium perspicuitatum, obscuri-

scuri-